Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1835
Quelle:
Copyright:

mania negotium pertinentia, a *Johanne Fabro* Ep. *Viennensi*, ut videtur, collecta, et quidem: I. *Noua de Lutheranorum et Zwinglianorum conuentu habito in Smalcald. excerpta de literis cujusdam Doctoris.* Sequentis Tenoris: *Principes et status protestantes iterum celebrarunt in Smalcalden conuentum et in eo super ceremonijs concordiam fecerunt, qua in parte Zwingliani coacti sunt Lutheranis multa concedere maxime inter cetera quod attinet ad imagines. Consensere Zwingliani, ut imagines Crucifixi et Apostolorum denuo erigerentur. Præterea quandam recognitionem non longe a Confessione distantem, omnibus his, qui Sacramenti communionem habere uolunt. Et desuper ut unusquisque in Ecclesia absolutionem accipiat. Et reciproce Lutherani debent ab ecclesijs amouere imagines eorum Sanctorum, quorum in Biblicis scripturis, nulla uel mentio uel memoria fit. Quia uero nos Augustani vsque huc edocti sumus et didicimus, omnes ceremonias una cum imaginibus impias esse, Proin formidandum est uehementer, quod difficile hæc eruentur ex animis populi, et quod non sine scandalo possint ea obtineri.* Sequuntur dein Pacta Conventa per Articulos. Ita de Eucharistia: *Ecclesiastici corrigant missæ dedecorosos abusus et stolidas superstitiones. Amputetur consuetudo sacrificantium ob numulos* &c. Ad an. 1540. haec pertinent; itaque ad calcem adscriptum est: *Lutheranorum Decreta Anno 1540. oblata F. regi Gandaui 20 Aprilis.*

II. *fol.* 7. *Confessionis Inuictiss. Imperatori Carolo Quinto per aliquot Principes et status Imperij in Augusta Vindelica exhibitæ cum Lutheri et Lutheranorum Dogmatibus nouisque falsæ religionis ritibus Compendiosa Collatio Authore Joanne Fabri Episcopo Viennen. Ex Gandauo Inclyta urbe Flandriæ Anno MDXL. mense Aprili.* Ratio Opusculi est, ut cuivis Asserto *Confessionis August.* adponatur ex Acatholicorum Scriptis unum alterumve Assertum contrarium. Non invenio laborem hunc in *Cat. Operum Fabri* neque typis editum putem.

III. *fol.* 23. *Confessio Zwinglianorum in Comitijs Augusten. Cæs. Maiestati oblata.* 1530. Est Scriptum IV. Civitatum *Argentinae*, *Constantiae*, *Memmingae* et *Lindaviae*, ut *Cod.* CCCCLIII. quem adi.

IV. *fol.* 44. *Ad invictissimum Cæsarem Ferdinandum de summe necessario tollendis ex catholica ecclesia abusionibus ad reformandum totum ecclesie corpus, quod alioquin nullam sit unquam pacem habiturum. Per Fridericum Nausean Doctorem.* Mirum, *Ferdinandum* hic *Caesarem* dici, quem titulum nonnisi anno 1556. vergente adsumsit, *Nausea* jam 1552. vivis exemto, Tractatu vero hoc ante an. 1541. conscripto, quo demum *Joh. Fabro* ad Insulas *Vien.* successit. Ceterum vide, quae de eo ad *Cod.* CCCCXCV. notavimus.

V.